FORMVLA
REFORMATIONIS PER CAESAREAM MAIE-

ſtatem ſtatibus Eccleſiaſticis in comitiis Auguſtanis ad deli-berandum prepoſita, & ab eiſdem, vt paci publicæ conſulerent, & per eam Eccleſiarũ, ac Cleri ſui vtilitati commodius prouiderent, probata & recepta.



Cum Gratia & Priuilegio.





AROLVS Quintus, Diuina fauente Clemētia, Romanorū Imperator Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, vtriusq; Siciliæ, Hierusalē, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex Archidux Austriæ. Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis &c. Vniuersis & singulis nostris & sacri Romani Imperii Electoribus, & Principibus Ecclesiasticis. N. Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis, cuiuscunq; gradus, dignitatis & præminentiæ existant. Gratiam nostram & omne bonum. Venerabiles Electores, Principes, & consanguinei nostri charissimi, ac honorabiles, deuoti, dilecti. Gratissimum nobis fuit, placuisse Dilectionibus vestris, & vobis conceptam reformationem, ex qua disciplinam Ecclesiasticā, multis partibus deformatam, pristinæ dignitati ac nitori restituere pro virili vestra statuistis: cupientes ea parte solicitudinis, quam suscepistis è manu Domini, afflictis Imperii rebus succurrere, & omni studio ac diligentia, collapsam penè Religionem erigere, ac confirmare. Quam vestram voluntatem, egregiam sanè ac piam, vt perspectā ante habuimus, & nunc libenter agnoscimus, ita quoq; deinceps in ipsa rerum administratione operam vestram futuram strenuam ac diligentem nobis pollicemur. Ideoq; ne pius hic exercendæ Reformationis calor longa temporis dilatione refrigeretur, valde nobis probatur, quod in hoc ipsum de celebrandis Synodis Diœcesanis, ad festum diui

Martini diem proximum constituistis. Nã prouinciales vt ante Quadragesimã omnes absoluantur, Videtur omnino necessarium, quod erit facile iis, quibus Prouinciæ non sunt amplæ, iis vero quorum Prouinciæ latius patent, non ita difficile, si Suffraganei, & quos conuenit interesse, in tempore admoneantur, & conuocentur. Eam vero moderationem, quam quibusdam locis adhibendam esse censuistis, quæ iam ipsi Reformationĩ apposita est, nobis quoq; est visum, & rerum ipsarum conditioni, & temporibus his conuenire. Quod vero petitis, vt literis nostris agamus cum summo Pontifice, vt se ad progressum huius operis sancti ac necessarii, aliquot reformationis locis accommodet, illis videlicet, vt Coadiutores qui examine explorati, indigni deprehendantur, summoueri possint, vt Beneficiorum & Episcopatuum pluralitas refrenetur, vt Præpositure, & aliæ quædam dignitates, sedi Apostolicæ reseruatæ, ad Articulum illum reformationis reuocentur, qui statuit non nisi idoneos & examine probatos ad eiusmodi dignitates esse admittendos, vt locorum ordinarii corruptos mores reformare, & excessus corrigere possint, non obstante exemptione, aut priuatis personis, aut capitulis Ecclesiarum per sedem Apostolicam concessa, aliisq; nonnullis. Nos quidem, quo ad nostra fieri poterit, diligenter agemus cum ipsius sanctitate, vt in re tam iusta & necessaria, officio suo defungi velit.

Datæ in ciuitate nostra Augusta Vindelica, Die nono Mensis Iulii, Anno à natiuitate Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo octauo. Imperii nostri vigesimo octauo, & Regnorum nostrorum trigesimo tertio.

CAROLVS

Ad mandatum Cæsareæ & catholicæ Maiestatis proprium.

V A: Perrenot:

Io. Obernburger. subsc.

FORMVLA REFORMATIONIS PER CAESAREAM Maiestatem statibus Ecclesiasticis in Comiciis Augustanis ad deliberandum exhibita, & ab eisdem probata ac recepta.



T abusus & scādala, propter quæ deus iratus seueriter adeo Ecclesiā suam castigat, tollantur, reformēturq; Clerus & populus iuxta sacros Canones, traditiones maiorum, & sacræ scripturæ normam, (quātum eius per hanc tempestatem fieri potest) donec cōcilium generale dissidiis & abusibus modum ponat, inprimis necessariū est, vt redintegretur repurgeturq; ordo Ecclesiasticus, quo cōfuso indiscreto & incerto, tota Ecclesiæ facies confusa est, & variis iactatur modis.

Lectum Augustæ Vindelicorū. 14. Iunii, anno &c. 48. pro statibus Imperii ecclesiasticis.

De ordinatione & electione Ministrorum Ecclesiæ.

PRiusquā admoueatur aliquis sacris ordinibus, diligenter inquirēdum est de fide, de moribus, de scientia, & ætate ordines petentis.

De fide quidem propterea, quòd qui rectā fidē non tenet, ad fidei sacramēta iure admitti non debet. Itaq; diligenter ordinādus examinari debet, de hæresibus hoc potissimum tempore iactatis, an in articulis hac tempestate cōtrouersis, hoc sin-

Ex Con. 11 Tolet. Ca. 10.

ceriter credat, profiteatur, & ſemper retinere velit, quod Romana catholica, & apoſtolica tenet Eccleſia. Nam de ſepultis hæreſibus, & nuſq; emergentibus inquirere ſpecialiter operæ pretiũ nõ videtur. Expedit tamen ſimul explorare affectũ, quo ducatur ad gradus Eccleſiaſticorum ordinum petendos, & an propoſitum eius pium, ſanctum & firmum ſit.

Mores autẽ conſtare, & probari debent, fideli ac certo teſtimonio Parochi, Præceptorum & proborum virorũ, apud quos maiorem vitæ partem ordinandus exigit, cum beatus Apoſtolus requirat, vt habeat teſtimonium bonum ab eis etiam qui foris ſunt, & ſit ſine crimine, irreprehenſibilis, iuſtus, ſanctus, ſobrius, continens, pudicus, perdens, modeſtus, benignus, ornatus, nõ ſuperbus, nõ litigioſus, non iracundus, aut procuſſor, nec vinoleatus, aut turpis lucri cupidus &c.

1. Timo. 3

Scientia ſaltẽ explendis miniſteriis, ad quæ ordinatur, ſufficiens, conſtare debet non titulis, quos mercatus ſit quiſpiam in Gymnaſiis, aut ab aliis dignitatem & titulorum venditoribus, ſed diligenti eius examinatione.

In con. Romano ſub Hilario papa canone. 3.

Licet autẽ Canones antiqui ſtatuerint, vt ante Trigeſimum ætatis annum nemo in Epiſcopum, vel Presbyterum ordinetur, miniſtrorum tamen inopia, poſt tam

In con. Neo Cæſar. can. 11
Rigorẽ canonũ de ætate

latam huius ordinis stragem, hodie postulat, vt qui alioqui dignus est, in anno vigesimo quinto ab hoc ordine non repellatur.

In his omnibus solerti cura aduigilare debent Episcopi, Nam ad illos præcipue pertinet ordinandorum examinatio, dicente Apostolo, Manus nemini cito imposueris, aut si p valetudinē & causas, Deo iudice (cui sunt ordinationem suarum daturi rationē) dignas id nequeant, curēt saltē per idoneos Vicarios, & viros pios, sacrarūq; literarū, Canonum & traditionū Ecclesiasticarum peritos fieri, ne spectacula tantū inquisitionum ædantur, aut testimonia subornentur non legitima, nec idonea, aut superficialis tantū & perfunctoria fiat examinatio, sed diligens & seria, cum proclamatione præcedēte ad plebē parochiæ, vbi ordinādus habitat, si cōmode fieri possit, nullusq; sit ab examine illo liber.

Ad Episcopatum assumi nemo debet, nisi sit sacerdos, aut promittat se velle gradus, quos nondū habet, omnes in proximis ordinationibus absq; fraude, dilatiōe, aut tergiuersatione suscipere.

Ad Prælaturas soli digni, atq; idonei designandi sunt, & admittendi. Qui idonei sint, examinatio probabit, si tales inueniantur, vt eorū comparatione illi quibus præficiantur, grex merito dicantur.

Ad ecclesias Parochiales nemo proueha

ordinādorū, tēperat necessitas: Gelasi in epist. decr. ad episc. Lucan. Brutior. & Siculorum.
Dist. 81. tātis Daniel.
1. Timoth. 5.
Ex conci. 4. Carth. ca. 22.
Ordinatos indignos absq; examine ecclesia abiicit.
Vide can. 9. concilii Nice. & eundē allegatū in. 6. cōcil. Cartha.
Dist. 60. Nullus in episco.
Ibidem. Nullus in præpo.

tur, nisi sciat, & velit populum docere, & verbum Dei pro captu suorum prædicare.

Episcopi & Archidiaconi designatos siue p electionem, siue per collationem non prius inuestiant nec ad Ecclesiæ munera subeunda admittát, quàm exploratum ipsis diligenti examine sit, eos esse idoneos, & vocationi suæ pro viribus se satisfacturos polliceantur.

Nulla pro examinatione exigatur pecunia, cum ad hæc tam necessaria officia habeant Episcopi, & ad quos examinatio pertinet, ampla satis stipédia.

In eis quoq; , qui ad Ecclesiasticas dignitates, curas, vel beneficia, per Coadiutorias, aut resignationes contendunt, eadem cura, quæ in electione & collatione exigitur, est adhibéda, nec recipiendi aut admittendi sunt huiusmodi homines, nisi examinatione præscripta comprobentur idonei, quales si non fuerint, qualecunq; sit resignatum illud beneficium, vacabit, & adsciscendus erit alius in reiecti locum.

De ordinum Ecclesiasticorũ officiis.

CVm duplex sit potestas, vna Ecclesiastica, alia temporalis, quæ longo distant interuallo, Episcoporũ Germaniæ pars maxima, præter Ecclesiasticam, etiam temporali præditi sunt. Est auté præposterum, & vocatione eorum indignũ, res temporales spiritualibus præferre, & rebus secularibus sedulo intentos eos principes tantum agere, curam vero Ecclesiasticam omnem reiicere in

Vicarios

Vicarios, dicentibus Apostolis: Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Ita ergo eis vita instituenda est, vt appareat eos Episcopos potius, quàm principes esse: & cœlum potius quàm mundum hunc cogitare. Acto. 6. Ex con. 4. Cartha. ca. 15.

Est autem proprium Episcopi officium, regere ecclesiam Dei, quam sibi Christus acquisiuit sanguine suo, ad quod pertinet pascere oues eius cibo verbi Dei, Sacramentis, & exemplis, confirmare Baptizatos, examinare: & ordinare ecclesiæ ministros, Synodos celebrare, Visitare suá prouinciam, & lupos ab ea abarcere. Quæ si fidelis & bonus Pastor est, per se potius, quàm per Vicarios, quantumuis pios, & doctos, pro ædificatione Cleri, & populi sui obibit, nisi aliqua legitima causa impediatur. Actor. 20.

Debet igitur omnium ouium suarum habere curam, sed præcipuè Cooperariorũ, per quos regit oues, & dispicere, vt suum quisq; munus fideliter in Ecclesia exequatur. Etsi enim omnes oues nosse supra naturæ vires sit, compastores tamen, & in opere Dei coadiutores suos vt cognoscat, est opus, vt sciat quomodo præsint, quid doceant, quomodo Traditiones & Ritus ecclesiasticos seruent, quomodo viuãt, ædificẽt, an corrumpãt gregẽ. Ex iis enim pendet disciplina, & salus populi. Sic poterit desides, ac torpentes arguere, inutiles remouere, & corruptores, perniciosos, ac scandalosos etiá plectere.

Pertinet quoq; ad Episcopum sollicitè inuigilare, ne Lupi gregem inuadant, quibus sese obiicere pro grege fortiter, & strenuè debet, eosq; abigere, Ioan. 1

B

Hebr. 13 ac persequi, nec ferre, vt doctrinis nouis & peregri-
Rom. 16 nis, aut per dulces sermones corrumpantur, atq; à veritate abducantur oues pro quibus Christo daturus est rationem.

Archidiacones, quos alii Chorepiscopos, alii Archipresbyteros, alii Decanos appellant rurales, quocunq; censeantur nomine, in partē sollicitudinis cōstituti sunt, & vocati, vt certæ regiunculæ Pastoribus seu parochis, ne in officio negligentes sint super intendāt. Horū est Synodis Episcopalibus inter esse, referre, & exponere illic suæ portiunculæ statum, & vna cū patribus consulere, ac decernere, Synodalia Decreta, & sentētias, placita quoq; Episcoporum publicare curæ suæ parochis, & exequi, & præter confirmationem ac ordinationē, & propria solius Episcopi munera, ea omnia in suo præstare Territorio, quæ in Diœcesi Episcopus, cuius sunt oculi, sollicitè inuigilātes, vt si quid aduersus fidē, pietatemq; Christianā emergat, Episcopo idipsum, ad quem cura prima pertinet, significent.

Ex epist. decret. Leon. ad germāiæ & gallicæ Episcopos de Chorepiscopis.

Parochi, dispensatores sunt verbi Dei, & sacramentorum, qui vt fideles inueniantur, debent frequenter populum de his, quæ ad fidem & religionem nostram pertinent, docere, eosq; instruere, vt norint quid credere, & quomodo conuersari, ac viuere in sua quisq; vocatione debeant. Administrare quoq; debent sacramenta, & eorum gratiam mysticam exponere, arguere eos quorū publica sunt peccata, publicè: occultè vero delinquētes, in priuata confessione, & in omnibus se nō segnes, aut cœcos speculatores exhibere, ne sint velut canes muti, non

1. Cor. 4

Isaiæ. 56

valentes latrare, Sed quasi tuba annuncient populo Esaiæ.
peccata, & ad conuersionem & pœnitentiam eos 58.
adducant. Incorrigibiles vero & præfractos referre debent ad maiores, vel publica satisfactione curandos, vel ab ecclesia proscindendos.

Debent quoque Parochi paruulos (quæ est pulchra Ecclesiæ portio, & apta disciplinæ pietatis) nõ negligere, Sed eos, ac rudes quosque suæ parochiæ, certis tẽporibus instruere, & catechizare, vt discãt Symbolum, Precationem Dominicam, salutationem Angelicam, & Decalogi præcepta. Aut certe habere Sacellanum, aut Pædagogũ, per quos officia ista minora præstent, Vt vero totam curam in Mercenarios reiiciant, Canones non permittunt.

De officio decani & Canonicorum.

IN collegiis, vbi diuersi sunt ministrantium gradus & ordines, Decanorũ est exemplo suo præcedere, verbo monere & prouocare collegii sui clericos & familiam, vt suæ quisque functioni gnauiter incumbat. Et eo, ad quem destinatus est loco, ministret in diuinis, & Collegii rebus, neque enim vt torpentes vacent, sed vt muneri suo satisfaciant, et vitam ducant appellatione sua dignam, constat Clericos ordinari. Debet itaque Decanus continere clericos, in decenti, ac ordinata officii diuini persolutione, in vitæ & morum honestate, in religioso habitu, in disciplina, in lectione & studio sacræ scripturæ, quo Psalmodiæ, preces, officia diuina, & ceremoniæ statis horis ad laudem Dei, & po

x con | puli ædificationem, secundum instituta patrum, digna maiestate persoluantur. Inobedientes vero & ebriosos, luxui indulgentes, Aleatores, percussores, scortatores & officium negligentes, publicè arguere, seueriter corripere, sacris abarcere, Multare etiam prouentu & distributionibus, pro excessuũ grauitate, iuxta potestatem, qua de iure & consuetudine ecclesiarum funguntur.

atera.

in.7.

Scolasticorum est docere indoctos, eosq; in his, quæ ad pietatem & cultum Dei pertinent, erudire, aut curam hanc procurare. Præsertim vero iuuentutẽ regere, eisq; idoneos ac probos præficere pædagogos. Sint scholastici viri graues, qui iuuentutem ecclesiæ ministeriis destinatam in potestate habeant, & curent, vt sub eorũ disciplina, doctrina, pietate, & morũ honestate imbuantur, & caueát, ne emancipent, aut ad capitula tales præsentent, quos propria vitia reiiciunt. Sic cantorũ est, modũ dare eis, quæ in Choro canuntur, ac intonare, sic thesaurarii, sic succentores, sic Vicarii, & reliqui ministri omnes, debent suo quisq; loco, quod eis ex nomine, vel officio, vel præsidentium mandato incumbit diligenter obire, quo decenter ac ordinate omnia fiant inter eos.

Cor. 4.

Canonici omnes debent in his, quæ ad cultũ diuinum, obseruationẽ Canonum, & mores bonos pertinẽt, Decano suo humiliter obedire, diuinis omnibus interesse, modestia, grauitate, pietate, eleemosynis ac bonis exemplis populũ ædificare. Nõ deambulare in templo, diuinorum tempore, nec cõfabulari, oculos habere pudicos, incessum minime fa

ſtuorum, Eccleſiaſticum officium, cuius gratia beneficium percipiunt, vltro, prompte, & reuereter perſoluere ac adimplere, Vt dum ore cantant, canant & mente, & ita ne videantur tanquam conducti mercenarii trahi, & pecuniæ potius q̃ Deo ſeruire, & magnarum diſtributionũ tempora anxie, nunnorum negligenter obſeruare, ac ſi ſtipendium præcedere officium debeat, & non potius ſequi.

Quo vero doctis & claris viris collegia ornentur & vigeant, Decanus & collegium ſtadioſos aliquos, qui ſpem de ſe bonam præbent, debent mittere ad Academias & vniuerſitates celebres, & dare ſtudiis eorum ſufficiens tempus, ac interim eos habere pro præſentibus in Collegio, aut ſane quantũ pro victu & libris eis ſufficiat, ſuppeditare. Qua in re ſi negligentes fuerint, poterunt Epiſcopi auctoritate ad hoc cõpelli. Curent tamẽ eccleſiarũ prælati, de iis, qui ſtudiorum cauſa abſunt, diligẽter cognoſcere, & ſi comperermt eos negligentes, aut peruerſis moribus deditos, ſumptus antea dari cõſuetos, eis ſubtrahant, & in alios melioris ſpei iuuenes, eoſdem transferant.

De horis Canonicis & Pſalmodiis.

IN cultu diuino poſt Miſſæ ſacrificiũ in Eccleſia primas tenent preces Canonicæ, in horas ſeptẽ diſtributæ, ad quarũ obſeruantiam, qui maioribus ordinũ gradibus ſunt initiati, ſeu de beneficiis gaudent eccleſiæ, præcipue obligantur, quo preces, laudes, & gratiarũ actiones Deo pro eccleſia,

De cele bra. mi ſarũ can. presbyt.

cuius sunt ministri, cū grauitate & decentia modulentur atq; persoluant, & in lege eius nocte dieq;
1.Co.9 versentur. Ideo enim de altari edūt & participāt, qā altari seruiunt. Præposterū est autē, & tam naturæ q̄ dignitati ac institutioni cultus illius diuini contrarium, velle curam hanc ad postremos tantū ordines aut conductitios succentores reiicere.

Forma autem cantionum & precum illarū quondam ab antiquæ ecclesiæ patribus, & postremò à
Ex con. beato Gregorio, alijsq; ecclesiæ Rectoribus purior
Agathe. tradita, ordineq; præscripta est. Verū ad hanc tem-
can. 30. porū vitio, multa nepta, apocrypha, parumq; ad sincerum cultū pertinentia, nō negamus irrepsisse. Quod ipsum & Breuiariis (quorum vsus permissus est propter eos, qui iustis impediti negotiis, choro nequeūt interesse) vsu venit, quæ operæ pre
Ex con. tium erit, vt à viris doctis & piis (quos Episcopi
Mileui- interim in sua diœcesi ad hoc dare debeant) emendē
tano ca- tur, & reducantur ad puriorem & antiquiorem ri
pit. 22. tum, nec tamen modus, quem nunc ecclesiæ in precibus Canonicis seruant, mutetur, sed in locum eorum, quæ emendatione indiguerint, meliora & puriora reponantur, quo sancta, auctētica, & officio diuino digna sint omnia, quæ horis illis recitantur. Episcopis vero cura hæc relinquēda videtur, vt de hac re diligenter cogitent, si quid forte de sanctorū historiis in eum vsum publicari possit, quo ecclesiæ Germaniæ interim rectè in lectionibus matutinalibus vterentur, donec ea de re per Concilium generale statuatur.

Expediret ad hæc frequentes earundem precum

& psalmorũ in vna die repititiones, memorias item quæ suffragia vocantur, quibus ad fastidium vsq; plerisq; in locis Sacerdotes grauantur, tollere, quo prolixitas neminem ab illis quæ secundum feriarũ & temporis cursum, dicéda erant, deterreat, aut ad ea impellat, quæ de sanctis, breuiore qnidem compendio, at fructu nonnunq; minori, dicũtur. Horæ tamen Canonicæ integre permaneant, sublatis tantũ accessionibus quibusdã, quæ minus necessariæ vidétur, idq; auctoritate ordinaria Episcoporũ, ita tamẽ vt voluntates fundatorũ firmæ permaneant.

De Monasteriis.

EO maximè dolendum est Monasteria multa in Germaniis excisa, & euersa, quædã etiã spontè deuiasse ab instituto, & vix pauca restare, vt olim integra, quòd Monasteria apud patres nostros officinæ erant, cultus diuini, & pauperũ quædã Cellaria, in quibus vnius voti ac professionis homines certis horis die noctuq; Deũ psalmodiis & laudibus colebant, horas intercalares orationi, lectiõi scripturarũ sacrarum, meditationibus rerum cœlestium, & aliis studiis piis & honestis dabant, ieiuniis se castigabát, & quod supererat, erogabant in pauperes, quibus sanè viis ad Euangelicam perfectionẽ cõtenditur, Hinc nõ modo leges, Canones, & ipsius naturæ iura, verũ etiã tam necessitas publica quàm Monastici instituti sanctitas efflagitant, vt reformentur, & quantũ fieri potest, reparentur & conseruentur.

Igitur Monasteria cuiuscunque sint ordinis, quæ ab institutis suis degenerarunt, debent secundũ Regulas, quos professi sunt, absque omni personarum respectu, a visitatoribus suis reformari, & Monachi in obedientia & religione sui ordinis contineri. Repugnantes vero, & reformationis impatientes, sine exceptione ad eam subeundam cogi. Quod si visitatores ad hoc non sufficiant, debent aut ordinarii, aut magistratus, vel principis opẽ implorare.

Excon. Aurelianen. can. 21. Et habetur. 18. q. 2. Abbates p humilitate.

Ad hæc debent Monasteria opulenta restaurare apud se, intermissa studia, præsertim sacrarum literarum, vt habeant Monachi quotidie lectionem aliquam sacræ scripturæ illustratricem, qua deuotionem suá alant, seque ad pietatem continuam exerceant, & se ad prædicationẽ verbi diuini aptos efficiant. Vbi vero pauci sunt Monachi, idemque inopia laborant, debent nihilominus vnum vel duos mittere ad aliud Prouinciæ suæ Monasterium, vbi scholæ restitutæ sunt, qui in literis sacris simul & in religionis obseruãtia, illic instituantur et proficiant.

Non exerceantur Monachi rebus prophanis, sed in locis vbi se Deo deuouerunt, permaneãt, nisi forte ad concionandum, vel sacra peragenda, aut ad aliud Monasteriũ à suis prælatis mittantur, aut ad curam animarum, ab ordinariis locorum euocentur, de consensu Prælatorum suorum, sub quorum obedientia nihilominus manere debent, qui possint eos corrigere & reuocare. Sic tamen vt prælati ordinam, episcopis in hac necessitate non desint tempore vero quod eis à diuinis & lectionibus reliquum est, semper pii & honesti aliquid agant, vt

eos

eos semper inueniat Diabolus occupatos.

Non debent item Monachi, quamuis opulenti, & regalibus dotati munificentiis, ociosos & vanos facere sumptus, nec familiam superfluã, nec equos, ad fastum & pompã potius quam ad necessitatem, Principum more nutrire: magisq; secularem quàm religiosam ducere vitam: sed in humilitate viuere frugaliter: & quæ vltra necessitatem supersunt: in pauperes et educationem studiosorum: quo possint ecclesiæ Christi olim vsui esse: vtiliter expendere. Idq; cum authoritate ordinariorum loci: si illis sint subdita Monasteria: aut habeant ius visitandi eadẽ: in cæteris fiat hoc per eorum Prælatos.

At vbi per hanc tempestatem vel excisa sunt monasteria: vel exausta monachis & deserta: debent visitatores initio duos aut tres bene institutos: ac probæ vitæ menachos illo mittere: qui monasticen rursus introducant: & quantũ fieri poterit omnia restaurent.

Monialibus continentiam professis nequaq; Monasteriorum suorum septa egredi licebit, sed in eis latere debent, ac soli Deo pudicitiæ amatori, cui se cõsecrarunt, quemq; repudiatis huius seculi amatoribus præoptarunt, se conseruare illibatas, nec item patere debet eis virorum conspectus, aut viris permitti, vt monasterium ingrediantur, nisi ineuitabilis necessitas requirat.

Cum non detur autem eis suasmet res foris procurare, Economum sibi deligere poterunt fidum, frugalem, & honestum, qui debeat eis & visitatori quater in anno, & quoties poscitur reddere nego-

Destat[illegible] regula. i.6 cap. pericu[illegible] loso. Ex con[illegible] epauae[illegible] can. 38 In Sext[illegible] de statu regul.[illegible] Porro

le moni tiorũ ſuorũ rationem. Quod ſi inutilem eum, aut
les. grauem, vel infidũ experiantur, poterunt eo amo-
to, alium ſurrogare.

Ex con. Mogu. can. 13. Ex con. Roma. ſub Eugẽio. 2. can. 3. i. Ti. 2. i. Petri 3.

Quæ vero continentiæ ſtudium ſectantur abſq; voti profeſſione, & vitam in collegiis ducunt religioſam, quales vocantur canoniſſæ, etiam ſi nõ habeant (quam tamen decentiſſimum eſſet habere) menſam communem, ſed ſuam quæq; peculiarem, debent tamen cõmune habere dormitorium, ne pudicitiæ inſidiatori Sathanæ detur occaſio, ad incontinentiã tentandam. Debent quoq; a nimis exquiſito & procaci habitu abſtinere, nec ſeculariter comptis incedere veſtibus exultæ, ſed in habitu modeſto, mundo & caſto, vt ſint earum monaſteria ſcholæ pudicitiæ, & virtutum, in quibus filiæ nobilium diſcant nõ laſciuire, non ſuperbire, ſed Deum timere, orare, & piis aſſueſcãt exercitiis, ac moribus bonis, vbi voluerint, nupturæ in Domino. Talia autẽ collegia ſicubi in his virgines ob liberiorem vitam famam ſuam in periculũ adducant, per ſuperiores & Epiſcopos reformentur.

De ſcholis & vniuerſitatibus.

Scholæ ſeminaria ſunt, non Prælatorum tantũ & miniſtrorum Eccleſiæ, verum etiam magiſtratuũ, & eorum qui conſiliis ſuis reſpublicas gubernant, quæ ſi negligantur, aut deprauentur, neceſſe erit, & eccleſias, & reſpublicas inde periclitari, propterea de earundem inſtauratione magna cura habenda eſt.

In primis igitur, vbi extãt fundatæ authoritateq; ordinaria probatæ vniuersitates, seu Academiæ, debent destinata præceptoribus & studiosis benefi cia & stipendia, priuilegia itẽ, & immunitates, atq; exemptiones a vectigalibus, exactionibus, collationibus & oneribus publicis, tam discipulis q̃; præceptoribus, ante omnia tuta conseruari, nec ab vllo hominum quantauis potestate sit præditus, infirmari, infringi, aut alio conuerti, q̃; destinata sunt. Quod si prouisores benificia huc distinata, in alios contulerint, irrita debet haberi, & esse collatio. Et qui damnum vniuersitati intulerint, ad satisfatio nem compelli.

Curandum est in singulis Academiis, vt nõ nisi probati autores in artibus & disciplinis, auditoribus prælegantur, atq; vt doctores & magistri, qui doceant iuuentutem, probi sint catholici, & de religione christiana bene sentientes.

Ad hæc qui in numero Studentium volunt haberi, & priuilegiis vniuersitatum frui, ac gaudere, nõ debent priuilegiis & libertate sua abuti, sed sub obedientia et disciplina viuere rectoris, qui eos delinquentes: et statuta prætergredientes: præsertim rixantes: seueriter corripere: et pro modo delicti plectere debeat.

Nulla re magis Ecclesiæ, publicæq; vtilitati consuleretur, q̃; si summus Pontifex, & collatores ordinarii, secundũ Concilii Basiliensis placita, Academiis purioribus & incorruptis potestatem facerẽt, significandi eis subinde viros literatos, ad regendã Ecclesias idoneos, quos ipsi quibuscũq; aliis minus

idoneis in collatione beneficiorum, & præsertim Parochialium Ecclesiarū præferrent, modo tamen personaliter illi non detrectarent residere.

Vbi fundatæ nou sunt, debent singula collegia secundum Decreta concilii Lateranen. vt parua fuerint vel magna, ita scholas paruas vel magnas apud Collegia erigere, quibus præficiant Magistros & pædagogos incorruptæ vitæ, à quibus tam pietatis Christianæ prima principia, quàm rudimenta literarum incontaminata adhuc, & quorumlibet studiorum capax iuuentus hauriat: atq; vbi multos est adolescentum numerus, in classes diuidi poterunt, Debet autem eis prælegi hoc tantū, quod Innocentiæ illius ætatis conueniat, Væ enim ei qui scandalizauerit vnum pusillorū, qui in me credunt, ait Christus. Idcirco sedulò curandū, ne prælegantur eis libri obscæni, suspecti, aut cōtagiosi, eorū, qui perfidiæ suæ virus, religionisq; & pietatis odiū teneræ iuuentuti suis scriptis, quæ per hanc tempestatem ædidere, instillant.

Sed vbi collegia non sunt, debent in singulis ciuitatibus esse scholæ, quarum magistri boni, honesti: & docti sint.

Præter Pædagogia vero, habeatur in collegiis Theologus, qui certis horis interpretetur Biblia, ac de re Theologica doceat iuniores Canonicos, Vicarios, & alia collegii membra: vbi quisq; ad lectionē: suæ professioni & instituto cōgruentem: tenebitur comparere. Huic vero quomodo: & vnde prouidendum sit de victu: in concilio Lateranen. cōstitutum est, ita nimirū, vt vnius præbendæ pro-

ξentus ei : donec in docendo perstiterit, assignetur, Si sufficiant : sin minus : vt aliunde suppleatur : & tantū huic : quantum satis sit : suppeditetur.

De Hospitalibus pauperum, infirmorum, & peregrinorum.

SAnctorum patrum constitutionibus olim sancitum fuit: vt bonorū Ecclesiasticorū pars quarta cederet parperibus. Hinc apud collegia : & monasteria antiqua: Hospitalia extructa sunt, quæ nunc passim aut in vsus alios sunt cōuersa, aut iacet neglecta, non sine graui impietatis piaculo: verisimile est cùm Ecclesiastici, patres pauperum haberētur & essent: fideliterq; bona cōmissa dispensarent, Imperatores : Reges : principes : & locupletes homines: permotos : vt tam amplius prædiis Episcopos collegia, & monasteria ditarint. Debent igitur Episcopi : collegia : & monasteria rursus ædes illas sicubi collapsæ sunt, instaurare, Vbi vero extant, cōseruare: redditus quoq; ad eas destinatos, a colim separatos, de quibus constat, in nullū vsum alium conuertere. Qui si forsan cum cæteris redditibus, & bonis alicubi confusi sint, & hodie ignorentur: debet nihilominus ædibus illis, de omnibus ad infirmorum curam pertinentibus, ex ærario cōmuni monasterii vel Collegii sufficienter prouideri : idq; pro dispositione Episcopi : aut ordinarii Ecclesiastici illius loci.

Sic etiam reliqui ordines, qui Hospitalia habeant eadem studeant conseruare.

In eiuſcemodi Hoſpitalia recipiendi ſunt viduæ & Orphani, & qui vere ſunt pauperes, & ad victũ quærendum ſibi non ſufficiunt, & potiſsimum eiũs loci, vbi Hoſpitalia illa ſunt cõſtituta, Peregrinis vero pro refectione, nõ inhabitatione, aut in pauperũ illorum fraudem, patere debent.

Cæterum, ſicubi Reſpublicæ Ciuitatum, Municipiorum, aut Parochiarum ſuis ciuibus aut etiá peregrinis hoſpitalia cõſtruxerunt, quorum ſibi retinuerunt prouiſionem ac diſpenſationem, curandũ eſt, vt Adminiſtratores dent Prouiſoribus à Cõmunitate delectis, quater in anno rationem, ne et iſta, caſu ſimili quo illa, pereant, & pauperũ res per fraudem diſtrahantur. Superiorum vero omniũ inſpectio ad viſitationem pertinet Epiſcopalem, aut Prælatorum, quibus de cõſuetudine eius loci cura hæc incumbit.

De Diſpenſatione verbi Dei, & officio Eccleſiaſtæ.

Concionandi officiũ ſibi aſſumere nemo debet, niſi vocatus, & Ordinaria Eccleſiaſtica poteſtate admiſſus, dicente Apoſtolo: Quomodo prædicabunt niſi mittantur? Pertinet autem officium illud ad Epiſcopos & Paſtores, quibus animarum cura incũbit. Iis tanq̃ ſubſidiarii Cooperatores, quatuor mendicantium Ordines ad prædicandum verbum Dei adiuncti ſunt. Permiſſum quoq; ipſis eſt accire ad hoc Vicarios Sacerdotes,

seu Sacellanos, quorum interdum opera vtantur. At non temere debent ignotos quosq; aut vagos Sacerdotes & Monachos absq; Prælatorum suorū testimoniis, seu formatis, vt vocant Canones, admittere, multo minus suspectos de fide, aut flagitiosos sacerdotes, Aut Monachos fugitiuos, per quos populus eis creditus seduci ac corrumpi facilius, quàm recte doceri, potest.

Ad verbi dei doctorem seu concionatorem pertinet, vt Euangelium & sacras scripturas sinceriter tractet & doceat, nō secundum sensum quem prius conceptnm, ipse ad scripturas attulit, sed iuxta sensum & interpretationem sanctorū, & Orthodoxorum Patrum, ita enim nec ipse errabit, nec alios in errorem seducet. Hinc Canones suadent, sanctorū patrum Homelias, seu euangeliorum enarrationes in ecclesia recitari, in anniuersariis quoq; sanctorum Martyrum diebus licebit secundū Affricani concilii Canones, recitare eorum passiones post euangelia, si tamen certæ sunt, & à fide dignis scriptoribus proditæ.

In concione nihil prophani, incertū, fabulosum, aut illo indignum loco adferatur, nihil suspectum, nihil inconstans: nihil nisi quod tota probat ecclesia & à maioribus acceptū est, vt sic forma seruetur, secundum præceptum Apostoli, sanorum verborum, et doctrinæ sanæ: quibus sancti patres & ecclesia dei quæ columna est & firmamentum omnis veritatis, consueuerunt.

A quæstionibus item difficilibus & perplexis Ecclesiastes abstineat, non oportet enim ad ingenū

& eruditionis ostentationem prædicare, Sed vtili-
ter pro ædificatione populi. Idcirco debet se demit
tere ad captũ auditorum, & nunc Catechistam age
re, nunc interpretem scripturarum, nunc vitiorum
reprehensorem, nunc doctorẽ mysteriorum & sa-
pientiam loqui inter perfectos. Omnibusq; omnia
fieri ad omnes Christo lucrifaciendos.

Nec sit cõtentiosa declamatio aut rixosa, conten-
dere enim verbis (inquit Apostolus) ad nihil vtile
est, nisi ad subuersionem audientiũ, Sed modesta,
sobria: seria: grauis: neruosa: qua potens sit exhorta
ri doctrina sana. & eos qui contradicunt, arguere.
Caueat quoq; scurriliter calumniari, scommata &
dicteria in alios iacere, suũ expuere liuorẽ: & sub-
silire: incõpositis moribus gesticulari. Concitare
plebẽ in absentes, Clerum vel Magistratũ. Qui etiã
si reprehensione dignũ aliquid admisissent: nõ est
tamen illorũ causa ad plebis iudiciũ referenda, quin
potius contra in omni concione admonendus est
populus, vt pro Clero & Magistratu orent.

Subinde quoties locus oportunus incidit, facien-
da concionatoribus est mentio misericordiæ: cha-
ritatis: & bonitatis Dei erga nos: quo dubitantes
& anxios: ad bene sperandũ & amandũ Deũ inflã-
ment. Ita tamen vt etiã iustitiæ eius, qua pro bene-
factis cœlum: pro malefactis Gehẽnam & æternũ
supplicium reddit: nõ obliuiscantur: quo malos à
peccatis deterreant: & ad resipiscentiã: eleemosy-
nas: satisfactiões: & opera pietatis inducãt: ne fine:
Ezechi quales Pseudoprophetæ: de quibus apud Ezechie
el. 13. lem dicitur: deceperunt populum meum dicentes
Pax:

Pax : pax : et non eſt pax : et ipſe ædificabat parietem: illi autem liniebant eum abſq; luto : et abſq; paleis : et temperamento &c.

Frequenter etiam per hanc emergentium vndiq; hæreſum tempeſtatem confirmandus eſt populus catholicæ fidei doctrina : vt ſubpullulētes zizanias vitare queant. Hortandus vt verbum Dei attentus audiat : ſed à catholicis & ſinceris, ne ſub melle verbi Dei propinet aduerſarius ei aconita. Inſtruendus de ſacramentis, & eorum myſteriis, vt eis ſecundū Eccleſiæ traditionem, ad ſalutem ſuam religioſe vtatur, vt Miſſæ officio libenter interſit, votis eccleſiæ vota ſua coniungat, cum ſacrificiū offerente ſacerdote, ipſe quoq; mortem Chriſti pro peccatis ſuis, cordis ſurſum eleuati manibus patri offerat, frequēti confeſſione ſe expurget, corde mundo & auido ſalutarem corporis Chriſti cibum excipiat, diebus feſtis, ſanctis tantum incumbat operibus, Breuiter ad omnia pietatis chriſtianæ exercitia ipſum inſtruat & formet, inculcet quoq; ſedulo Decalogi præcepta, eaq; explicet. Ad quod etiam proderit Catechiſmum ſæpius relegere.

Ad poſtremum, & tamen ante omnia meminerit eccleſiaſtes, vt exemplo Pauli caſtiget corpus ſuū, & in ſeruitutem redigat, ne vbi aliis prædicauerit ſalubriter, eoſq; ad pietatem adduxerit, ipſe ſeruus ſit ventris & peccati, ac reprobus efficiatur.

De adminiſtratione ſacramentorum.

D

Ecclesia quæ sola Sacramentorum thesaurum à Christo accepit, nouit etiã verũ ac legitimũ eorũ vsum, custoditq; substantialia ipsorum immutata, Ceremonias vero, quas plerunq; significationis aut pietatis excitandæ gratia, vel ipsa instituit, aut ex traditione Apostolica accepit, & orationes solẽnes, ac Ritus in administrando pro vtilitate & ædificatiõe Ecclesiæ, mutare potest & solet, quã tamẽ potestatẽ nemo priuatus sibi vsurpare debet, Sed potius sequi in omnibus receptã vniformitatẽ, tum ob reuerentiã atq; obedientiam, quæ debetur sacris Canonibus, antiquis traditionibus, & Imperatorũ piissimorum legibus, tum ad confusionem & schismata in Ecclesia Dei vitãda, iuxta illud Apostoli: si quis videtur contentiosus esse, nos talem cõsuetudinem nõ habemus, neq; Ecclesia Dei.

Ne vero hæc tanta Dei beneficia, quæ ad omniũ salutem à Christo instituta sunt, ignorentur, aut putentur ociosa esse spectacula, nec suo habeantur loco vel etiã indignè tractentur. Debet populus in eorum administratione (vbi cõmode fieri poterit) frequenter etiã in concionibus, vbi inciderit locus, doceri, quid in sacramẽti cuiusq; collatione agatur, quis sit eius fructus, quid velint signa externa, quo modo Dei virtus præsens, inuisibiliter eis ad sit, quomodo etiam dignè vel indignè percipiantur, & iis similia.

Rectius in Ecclesia Occidentali sacramenta lingua latina quàm vernacula celebrantur, conseruatur enim mysteriis (vt Basilius ille Magnus ait) silentio sua auctoritas atq; Maiestas. Quod autem

putauit quidam omnium referre, vt sacramentorū Mysteria lingua omnibus intellecta, peragãtur, & administrentur, quo gratia Dei, quæ illic operatur, cognoscatur ab omnibus, arbitramur hoc commodius fieri posse concionibus frequentibus, ad populi captū demissis, quàm paucis illis verbis, quibus in sacramentorum celebratione Ecclesia vtitur: iisdemq; mysticis & sacratioribus, quam vt à quouis è vulgo statim intelligantur. Et sanè ante vilescent vulgò sacramenta, lingua vernacula celebrata, quàm vt suo habeantur loco, debitaq; veneratione colantur, quippe quod ea quæ captum, ingeniumq; nostrum excedunt, attentius miremur atq; obseruemus: intellecta vero propemodū negligamus, attamen vt in Baptismo Abrenuntiationes, & professiones fidei, secundum antiquas Agendas, & in matrimonio, sicut hactenus consuetum est fieri in Ecclesia catholica, consensus contrahentium, lingua vernacula requirantur, non improbamus.

De administratione Sacramenti Baptismi.

QVàmuis orationes illæ solennes & ceremoniæ, quibus circa Baptismū Ecclesia vtitur, non sint sacramento essentiales, nō possunt tamen absq; graui sacrilegio contemni, nec omitti sine schismate, aut animæ periculo, nisi facultatem eripiat necessitas. Statim enim à tempore Apostolorū cœpit cōsuetudo illa, quam Ecclesia hu: vsq; religiose obseruauit, vt baptizarētur fideles in aqua

inuocatione nominis Christi, ad baptizandum benedicta, & prius exorcisaretur, exufflareturque contraria potestas, & signum crucis fronti baptizandi imprimeretur, aure sque ei aperirentur, ad audiendũ deinceps verbũ Dei, & sal sapientiæ significatiuus ori iniiceretur, & Diabolo per se, vel spósores suos abrenunciaret, profitereturque Symbolum Apostolicũ, & in pectore, ac scapulis tanquam nouus Athleta inungeretur, cui contra diabolum pugnaturo, & cordis (quo creditur ad iustitiam) constantia opus est, & corporis robore, ad mandata Dei opere implenda. Ac post immersionem iam Christo incorporatus in vertice vngebatur, induebaturque veste candida, custodiendæ innocentiæ signo, atque ita præferebatur ei cereus ardens, tanquam per tenebras mundi in luce ambulaturo. Quibus ceremoniis significatur, quid tota vita exercere, meditari, cogitare, & operibus implere debeant Baptizati. Ideo sæpius debent hæc populo exponi, vt professionis suæ, qua Christo initiati sunt frequenter admoneantur.

Curandum est etiam, vt susceptores seu sponsores paruulorum sint prouectæ ætatis, in fide probè catechizati atque instructi, quo nõ ore tantum, sed & mente ac seriò ad interrogata respondere, suum munus intelligere, & paruulos vbi adoleuerint: in fide orthodoxa (si res postulat) instituere posſint. Id enim ipsorum (quam pro paruulis baptizandis Deo & Ecclesiæ faciunt) sponsio requirit.

De adminiſtratione Sacramenti confirmationis.

EPpiſcoporum eſt ad confirmandos baptizatos ſuam diœceſim frequentius circuire, myſterii huius originem, & Chriſmatis arcanũ, ſi non per ſe, ſaltem per concionatorem idoneum populo exponere, pro captu tamen paruulorum, vt & ipſi hinc aliquid fructus percipiant.

De Miſſæ ceremoniis.

CAnon Miſſæ, quem tot iam ſeculis retinuit Eccleſia Dei, nihil continet quod nõ ſit conſonũ iis, quæ à tempote Apoſtolorũ apud altaris ſacrificiũ ſupplicata, pronunciata, vel obſeruata ſunt, Id quod liquet ex antiquorũ veteris eccleſiæ patrũ ſcriptis, in quibus ipſa canonis verba alicubi eſt reperire, vt prorſus ſacrilegiũ ſit, eũ vel damnare vel authoritate priuata immutare, Debet idcirco ille, quemadmodũ hactenus factum eſt, in Miſſa religioſe ac ſubmiſſa voce (quo myſteriis tam tremendis ſua conſeruetur authoritas) pronunciari.

Quod ad reliquas Miſſæ partes attinet, etſi omnes illæ nihil ſint aliud ꝗ̃ aut laudes Dei, aut preces Eccleſiæ, aut lectiones ſacræ. Et ideo minime negligenter habendæ, tamen ſi quas nouas collectas, ſequẽtias, præfationes, & id genus res vel indoctas vel incertis et apocriphis hiſtoriis innixas: aut miſſæ ſacrificio parum cõgruentes recentior ætas inuexit, tales omnes tollendas cẽſemus, atq; ad probatiſſi-

morũ codicum fidem restituendas, debentq; Episcopi pro officio suo huic repurgationi, adhibitis ad eam rem viris doctis, dare operam, quo pura, emẽdata, certa, & solida existant omnia, quæ in sacratissimo illo officio dicuntur

Epistolæ & Euãgelia pro reuerentia quæ eis debetur, semper pronunciẽtur in Missa lingua latina, Dominicis vero & festis diebus in Parochialibus Ecclesiis plebi lingua vernacula exponantur, siue ante sacrum solenne, siue sub ipso, nec concionis tẽpore vlla missa celebretur, qua populus ab auscultatione distrahatur, Sed neq; sub sacro solenni conuenit, vt coram podulo eodem legantur etiam Missæ speciales, quibus huc, illuc populus distrahatur, auoceturq;, vt nulli Sacro satis intendat. Verum interim nõ minus curandum est, ne sacrum illud pro trahatur æquo prolixius, generetq; potius fastidiũ auscultantibus, quàm deuotionem.

Organa nihil lasciuum sonent, aut seculare, sed quod ipsa etiam plebs intelligat religiosum ac pium esse. Et præstiterit Symbolum totum cani, similiter præfationem, & orationem Dominicam, quàm partem relinqui Organis, sicut magno abusu alicubi consuetum est fieri.

Nec conuenit, vt sub eleuatione sacræ hostiæ cantentur Antiphonæ ad hoc Sacrificium nõ proprie pertinentes, quales alicubi dicuntur de pace, de beata Virgine, de s. Sebastiano, aut alio quopiam Patrono, quæ melius à sacro peracto cantarentur.

Et fraternæ charitatis redintegratio, & pax nõbis à Christo relicta poscit, vt osculũ pacis, vbi mos

eius dandi exoleuit, in missis solennioribus resti-
tuatur, Sic vt Imaguncula crucifixi Domini pacifi-
catoris omnium ab ore Sacerdotis, pacem populo
imprecantis, ad astantes deferatur, quam ordine, in
concordiæ & pacis Symbolum osculentur omnes.

Docendus item est populus frequenter de Mis-
sæ mysteriis, vt Missam audiens vota sua sacrifican-
ti Sacerdoti coniungat, & ad finem vsque, donec be-
nedictionem Sacerdotalem acceperit, perseueret,
sæpiusque communicet, si non semper externa sum
ptioni Sacraměti, saltem spiritualiter, desiderio fru-
ctus Sacraměti, et vnionis cum Christo. Verum in
terim non minori diligentia monědi sunt, vt qui pec
cati vinculo retinětur ligati, absque absolutione & ve
ræ emendationis proposito à Mysteriorum illo-
rum diuinorum perceptione abstineăt, palam vero
criminosi, & qui peccati certissimam occasionem di
mittere nolůt, siue Sacerdotes sint siue Laici, omni
no à communione abarceantur.

Similiter docendus est populus, vt quamuis in
Missa piè orět pro spe salutis & incolumitatis sue,
incommodisque temporalibus vitandis, cauendas
tamen esse omnes supręstitiões, quales sunt pollice
ri alicui è certis Missis certam fortună, securitatem
in aggressibus temerariis, aut aliquid huiusmodi.

Tametsi omnis Missa sit officium publicum, &
ad totam pertineat Ecclesiam, nemini tamen vetan-
dum est sua deuotione priuatim vti, & quod publi
cum est celebrare pro Ecclesia non publicè, modo
cum grauitate omnia exequatur, & orationes ac le
ctiones sacras, clare & diserte pronunciet, vt possit

a circum stantibus audiri atque intelligi, & habeat (secundum sacrorum Canonum sanctiones) præsentes, qui Ecclesiæ nomine respondeant, vt verba que dicuntur, congruant etiam rebus ipsis. Curent etiã Episcopi, vt ignoti Sacerdotes, & qui publicis criminibus infames sunt, aut solum quæstum sectantur, ad celebrationem Sacri huius non admittantur.

Cum iubeant Canones Ecclesiastici vitalem hostiam seruari, vt semper habeatur parata pro infirmis, quibns viatico illo opus fuerit, fides & religio nostra prorsus exigit, vt in loco seruetur honorato, cum perpetuo lumine, quo admoneamur eo loco præsentem esse illum, qui lucem habitat inaccessibilem, quique tenebras nostras illuminat.

Quando in solennibus festiuitatibus ad amplificandum cultum diuinum, aut in magnis supplicationibus ad corda fidelium compungẽda, circumfertur hostia illa salutaris, omnes ludi prophani, & quicquid non valet ad veram deuotionem excitandam remoueatur, nec deferatur sacramentum extra Ecclesiam, nisi graues causæ postulent, & sint qui digno illud honore, tanquã m vere præsentem Christum prosequantur atque adorent. Sed & quando ad infirmos defertur, præferri debet lumen, & Campanella, ad dandum fidelibus signũ, pulsari.

De sacramẽti pœnitentiæ administratiõe

INfinitam peccandi licentiam confessionis sacramentalis neglectum consequi piorum omnium vox est, & negari nõ potest. Quamobrẽ decernendũ,

nendũ, quod & ab Ecclesia salubriter institutũ est, & à patribus diligenter obseruatum, vt quotquot Christiani nominis sunt homines, saltem in anno se mel peccata sua sacerdoti confiteantur, quod si recusent facere, ab Ecclesia protinus eiiciantur, & enim vt sæpe confiteantur ii, qui sæpius peccant, propria ipsorum salus efflagitat, eximiæq; cuiusdam pietatis est, peccata statim vt commissa sunt, lugere, confiteri, dignaq; satisfactione mortificare.

Veteres rigidiori disciplina, satisfactionem publicam exigebant. De quo Canones pœnitẽtiales ad huc extant, Verum ad seueras illas publicæ Pœnitentiæ leges desperamus, fide & charitate admodũ languentem populum, hoc tempore posse reduci, ergo quando hoc non datur, consuetudini posterioris ætatis insistendum est, quæ obtinuit, vt confessis pro Satisfactione iniungerentur orationes, Eleemosynæ, ieiunia, & id genus opera pietatis, quibus scripturæ diuinæ testantur, pœnam peccatis debitam dimitti. Nõnunquàm grauiores imponuntur, sed occultæ afflictiones, ad satisfaciendum, secundũ pœnitentis facultatẽ, & peccatorũ magnitudinẽ.

Quare prudentes oportet esse Confessores, qui norint distinguere lepram à lepra, & ita de peccatis inquirant, ne scãdalisent pusillos, ita Satisfactiones iniungant, ut sint simul & medininales, quibus animæ morbus curetur.

Quo vero quam minimum retrahantur homines à confessione, videtur nobis hoc tempore profecto expedire, vt confiteri volentes non ad vnum solum cogantur, sed vt pluribus (idoneis tamen)

Sacerdotibus, fiat absoluendi potestas, etiam in casibus reseruatis, quos adire sit omnibus liberum. Idq; pro arbitrio Episcopi, & ordinarii loci.

De Vnctionis extremæ administratione.

PRo more, quem hactenus tota seruauit ecclesia sacramentũ vnctionis supremæ fidelibus impartiendum est cũ Letaniis & orationibus, huic negotio congruentibus, quales sunt illæ, quas a' maioribus acceptas, tota Ecclesia seruat. Studebitq; sacerdos infirmum consolari, atq; a' curis & desideriis transeuntis huius vitæ ad spẽ salutis æternæ erigere, Diabolũ & terrores eius non formidare, in Christi misericordiam, qui nouit figmentum nostrum, & tolit iniquitates nostras, pro quibus & mortem sustinuit, tota mente sperare ac fidere, atq; ita confirmatũ, cũ benedictiõe Christo cõmẽdare. Nec abs re fuerit, vt rediens sacerdos habeat oratiunculam ad comitantem multitudinem, qua infirmitatis humanæ admoneantur, & vt pro laborante in extremis studeant feruentius orare.

De Sacramenti matrimonii administratione.

QVi matrimonio iungi affectant, debent doceri, vt sciant, qua religioni & fide nubatur in Christo, & clam destina illa, quæ carnaliter Christi incitante sola Venere, præter Ecclesiæ ritũ contrahuatur, nõ esse religiosa, & Christianis

digna matrimonia, & quàmuis illa (vbi contrahentes fuerint personæ legitimæ, sint rata, veraq; matrimonia, nō tamen ob id esse Deo grata, vt pote gratia sacramentali destituta, donec vicium suum emendent, & Ecclesiæ legibus subdantur. Ideo iungendi matrimonio admoneri debent, vt parentum & amicorum vtantur cōsilio, exemploq; Thobiæ, ieiuniis, & orationibus sese præparent, ac commendent gratiæ Dei, qua quod reliquū est vitæ deinceps peragendum erit. Neq; enim possunt filii sanctorum (vt in sacris dicitur) ita coniungi, sicut gentes quæ ignorant Deum.

Nec debet sacerdos sacramento huic alibi, q̄ in Ecclesia (quæ est proprius sacramentorum locus) benedicere, nec admittere, seu coniungere quoslibet sibi oblatos, nisi quos post proclamationes, vt minimum tres, tribus diebus festis sibi succedentibus, ad populum in concione publicè factas, cognouerit nullis impedimentis irretitos, quosq; examine facto, exploratū habeat, nec cogi ad hanc copulam inuitos à parentibus vel cognatis, sed animo eam libero appetere.

De ceremoniis Ecclesiasticis.

CVm ceremoniæ sint pietatis incitamēta quædam, & alimenta, quibus sublatis, ipsa quoq; frigeat, lāguescat, atq; emoriatur pietas, nulla vnquàm religio absq; ceremoniis potuit constare. Id circo ceremonias maioribus nostris hominibus religiosissimis vsitatas, retinēdas, reuocādasq; cen-

ſemus, non quidem propter ſpeciem operum, aut ſignorum externorum vim & meritum, ſed quod ad varios pietatis vſus valeant, nec item, quod in ipſis fiducia ſalutis ſit locanda, ſed quia exercitia quædam ſunt, quibus corpus ſimul cum mente ad Deum, ſeu cultum eius, attrahatur.

Sic ſecundum doctrinam Apoſtolicam orant viri nudato, fœminæ velato capite, & genua in terrá figimus, corpus cum ſpiritu humiliantes, & tundimus pectus, quod malefactorum conſcientia dolere debebat, & conteri.

Sic in terroribus ac periculis, inclamato nomine Chriſti, ſignamus nos ſigno Crucis, qua diabolo in nos poteſtas imminuta ademptaq; eſt. Idem ituri dormitum propter timores nocturnos facimus, Et manè quoq; ſurgẽtes, quo tota die à malis protegamur hoc ſigno muniti, quin Tertuliano teſte antiqui Chriſtiani olim ſiue ueſtes induerent, ſiue deponerent, ſiue domo prodirent, ſiue aliud quid agerent, aut inceptarent, ad ſingulas actiones conſignarunt ſe cruce. Nõ poteſt enim negligere pietas ſacra Chriſti ſignũ, aut à cogitatiõe eius, quæ ſigno illo renouatur, eſſe ocioſa. Sic cibũ & potũ ſumebant, benedictione præcedẽte, memores illius apoſtolici, ſanctificatur per uerbũ Dei & orationem.

Hinc & Aqua, & Sal, & Herbæ, & Agnus paſchalis, & fructus noui, aliaq; humanis uſibus neceſſaria (de quibus ad Adam, in quo peccauimus omnes, dictum eſt, Maledicta terra in opere tuo) benedicuntur & ſacrantur in nomine Chriſti, per orationem qua petit Eccleſiæ Miniſter Sacerdos,

vt Deus illa ipsa ad sanctificationem, & salutis nostræ profectum, potentia & bonitate sua, contra aduersarias potestates, incantationes, Magias, fraudes & machinationes inimici, qui nocere hominibus nō desistit, nobis concedat valere. Et valent vtiq; fidelibus, ob benedictionem Sacerdotalem, per uerbum Dei, & orationē, quæ alioqui nullam aduersus spiritales nequicias, & potestates inuisibiles, in seipsis uirtutem habebant, atq; hinc adeo cū aspergimur Aqua benedicta, oramus mente & habitu, ut à peccatis amplius lauemur, cū Salem sumimus exorcisatum, ut uitam nobis, & sermonem omnem concedat Deus habere sale conditum.

Cereos autem accendimus, in gloriam illius, qui lucem in habitat inaccessibilem, & illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Sed & sanctos luminibus ueneramur, quos uiuere cū Christo in gloria, in regione lucis prædicamus. At in fide defunctis cæteris, lucem ad sepulturam præferimus, orantes, ut lux perpetua luceat eis.

Thura incendimus significatione, quòd oportet orationes & desideria nostra sursum ad Deum, cū odore bonorum operum, ascendere.

Processionum alias lætas ducimus, in modum cœlestis cuiusdam exercitus ordine compositas, de Christo gloria & triumpho exultantes & canētes. Qua de causa crucis signū & vexilla in aëra sustollimus, ad significandum aëreæ potestatis expugnationem. Alias agimus tristes & solliciti in tribulatione, quam peregrini hoc exilium peragrantes patimur, ueniam peccatorum, & misericordiam pro

uindicta, supplicantes.

Cōsecramus item Ecclesias, altaria, calices, pallas, uestes sacerdotales, campanas, aliaque Ecclesiæ uasa, quæ usibus eximuntur ciuilibus seu prophanis, & ministerio tantum sacramentorum Christi aptantur ac mancipantur: ut sciamus in Ecclesia, non nisi sacris & diuinis rebus uacandū, gratia Dei illic seu numine quodam præsente: campanis uero ab operibus & negociis secularibus, nos ad orationem laudes Dei, & sacra mysteria inuitari, cogitemusque è tanto uasorum apparatu, & tot consecrationibus, quanta reuerentia sacrificium corporis & sanguinis Christi, à rebus prophanis sit secernendum, & diiudicandum.

De quibus omnibus debet populus sedulò ac frequenter doceri, ne ceremonias religiosissimè institutas, in abusum, aut superstitionem vertant, sed ad pietatem exercendam, ipsis vtantur, atque processiones rebus secularibus ac vanis proscissis sint graues, ordinatæ, honestæ, ac Christiana religione dignæ: Reprobi vero, & quibus studia ista pietatis vilescunt, redarguantur.

De disciplina Cleri & populi.

Disciplinæ iam pars bona tradita est in descriptione officiorum. Etenim vt suum quisque præstet officium, præcipua est disciplinæ regula, hoc tantum restat, vt vitia quædam publica, quæ emendationé, concilii definitione nō expectata, requirunt, retexamus.

Contra ordinem & dignitatem cleri cum primis sunt luxus & auaritia, quas res etiam plebs execratione dignas in clero ducit. Debet igitur clerus a luxu prophano, fastuoso, carnali, prorsus esse alienus, & primũ seruare decorũ in habitu, & incessu. Sit habitus honestus & simplex, non limbis, non scissuris comptus: mundus tamen: superior vestis sit talaris: nec incedant clerici cum multi famulitii strepitu, aut gladiis accincti terribiles, sed venerabiles, qui aliter se contemptibiles reddunt.

Mensa quoq; sit frugalis, nec lauta nimium, nec sumptuosa, pomposus vero esculentorum apparatus, & exquisitæ ad luxum delitiæ, longus accubitus, & commessationes frequentes, detestandæ ac fugiendæ. Similiter infamis & sacris litteris damnata ebrietas, & studium cõpotandi, atq; ad æquales haustus prouocandi, Cui propheta væ imp̃catur, Væ inquit, qui potẽtes estis ad potãdũ vinũ & viri fortes ad miscendã ebrietatẽ, Quin sacris canonibus decretũ est, tales ab officio & beneficio suspendere.

Porro quis ferendum putet? vt scortationi indulgeant, & adhæreant concubinis, qui sacrificii & orationis, ad quam debent perpetuo esse accincti, causa, coniugio etiam alioqui honesto & licito abstinẽt. Qui adhæret (inquit Apostolus) meretrici, vnum corpus cũ ea afficitur. Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Quibus verbis significat Scortatores à Christo excidere. Tantam ergo indignitatem in Clero, magna pœnarum seueritate veteres prosecuti sunt. Concilium Neocesariense, Niceno antiquius, statuit Presbyterum, qui vxorẽ

duceret, ab ordine deponendum si: fornicaretur autem, vel adulterium committeret, etiam extra Ecclesiam abiiciendum. & ad pœnitentiam inter Laicos agendam redigi debere. Vt autem non ferant hæc secula tantam seueritatem, & sit mitius agendum, Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus fornicationis adulterii, aut suspectæ familiaritatis conuictus, remota protinus concubina, primum nō pœna pecuniaria, sed suspensione ab officio & beneficio secundum scandali grauitatem plectendus est. Qui si facinus non emendet, & iterum conuincatur, plectatur seuerius. Vbi vero apparuerit eum effrenem & incorrigibilem factum, & nec pudore infamiæ retineri, nec pœnis abarceri a' scelere in modum equi & muli, quibus non est intellectus, beneficio secundū canones prorsus priuetur. Sed & concubinas, quæ post hac cum Clericis cohabitare sibi permiserint, per excomunicationem ab Ecclesia & cœtu fideliū expellere oportet.

Et ne tantū dedecus Clericalem dignitatem amplius dehonestet, reuocandi omnino sunt in vsum canones antiqui. Concilium Nicenum non permittit Episcopis, Sacerdotibus, Diaconis aut Subdiaconis habere domi subintroductam, seu extraneam Fœminam, nisi forte' aut matrem, aut sororem, aut amitā, aut tales quæ fugiant suspicionem. Conciliū Carthaginense iii. cui Augustinus interfuit, extendit hunc Canonem etiam ad fratrum vel sororum filias. Sic & Canon a' Siricio latus, nullas fœminas Clericis permittit cohabitare, nisi sanguinis necessitudine Clerico iunctas. Verum suspicionem nō fu-

giunt

giunt iuuenculæ, formoſæ, laſciuæ, cultæ, procaces imperioſæ, ocioſæ, impudentes, curioſæ. Si admittitur ergo quæ ſuſpicionem fugiat, annoſa, quæ annum quadrageſimum ſuperauerit, ſtatæ formæ, verecũda, ſobria, pudica, inculta, laborioſa, ſeuera, & quæ teſtimonio publico caſta eſt vidua vel virgo ſenex, in miniſterium domeſticum aſſumi poteſt, & ne cũ tali quidem familiaritas nimia eſt habenda.

De pluralitate beneficiorum.

TOllenda eſt etiam ex Clero omnis Symonia & ambitio. Ac quia ſine graui Eccleſiarum detrimento accidere non ſolet, vt aliquis plura quàm vnum (maximè ſi curata ſint) beneficia occupet, ſolus enim per omnes Eccleſias, ſi munere ſuo rectè ac diligenter fungi velit, nec officium per ſoluere, nec rebus earum neceſſariam curam impendere valet. Curandum eſt, ne quis plures quàm vnam Metropolitanas, aut Cathedrales Eccleſias teneat, & ne clerici ſinguli in poſterum plura, quàm vnum beneficia acquirant: atq; obtineant.

Sed quia tenuitas beneficiorum facit, vt cum eorum ſingula multis in locis Poſſeſſores ſuos alere, atq; ſuſtentare nequeant, cauſam arripiant, cur plura beneficia coaceruent atq; poſſideant. Archiepiſcopi, aut certè Epiſcopi curent, vt per vnionem, aut per aliam quãdam viam, beneficiorum tenuior redditus ita augeantur, vt de ſingulis beneficiis ſinguli poſſeſſores ſatis emolumenti pro munere atq;

dignitate quisq; sua habere posśint. Nam vt ambitiosam plurium benefiorum cupiditatem, quæ malam omnino speciem habet, ex Ecclesia tollendam censemus, Ita vicisśim Ministris Ecclesiæ prospiciendum putamus, vt habeant, vnde commodè viuere posśint: Dignus enim est operarius mercede sua. Quâ in re arbitramur eorum beneficiorum, quibus cura animarum annexa est, cum primis rationem habendam esse.

In qua re hanc sequantur rationem Archiepiscopi atq; Episcopi, vt si census alicuius Ecclesiæ, pro veteri Præbendarum atq; benificiorum numero, ad iusta Ministrorum emolumenta non sufficiat, beneficia quæ nullam Ecclesiarum necessariam functionem habent, illis vniantur, aut Præbendæ ac beneficia ad pauciorem numerũ redigantur, Donec è singulis possessori cuiq; iusta emolumenta suppetere queant, vt causa non sit, cur vnus non vno beneficio sit contentus.

Res enim ita constituenda est, vt non deserat quisque officium, propter quod datur beneficium: sed in loco beneficii sui, resideat, ac muneri Ecclesiastico, quod huic annexum est, ipse diligenter incumbat, & cogitet, quanti sit momenti vigilare pro animabus, & ab eis non discedere, pro quibus aliquando corâm Tribunali Dei rationem redditurus sit: Intererit igitur non solum Ecclesiarum, sed etiam Possessorum, si plura beneficia curata iam obtineant, ut uno quod maluerint, eisq; ad iusta emolumenta sufficiat, retento: cætera intra annum sine ulla pensione resignent. Sed si forte de iure: quod

se acquisiuisse putant: recedere nolint: imponatur necessitas eisdem, vt dispensationem sedis Apostolicæ, Ordinario loci exhibeant, ac si legitima fuerit dispensatio, relinquantur illis beneficia, Ordinarius tamen loci iuxta constitutionem Gregorii Decimi, in concilio Lugdunensi, quam etiam Tridentina Synodus innouauit, prouideat, etiam per idoneorum Vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum assignationem, Vt cura animarum beneficiis illis annexa, non negligatur, nec beneficia ipsa debitis obsequiis fraudentur, Atque vt hic iis qui iam possident, & ius habent acquisitum indulgendum videtur, sub hac tamen cautione, quam concilium Lugdunense præscribit, ita in acquirendis beneficiis in posterum coaceruatio eorundem, atque pluralitas, de qua vetus de querela, eaque non iniusta, omnino debet vitari, Ac ne salubre institutum Curiales turbent, huc vt accedat auctoritas summi Pontificis, quàm primum impetrandum videtur.

Debent etiã, qui incorporatas habent cum Decimis, & censibus Ecclesias, quas velint retinere, nõ nisi idoneos, atque à secularibus ac sordidis negociis liberos sacerdotes eis præficere, quibus de victu & vestitu honesto, & competentia iusta prospiciãt, qua in re, si fuerint negligentes, aut auari, Episcopi erit pro suo officio, & remouere ineptos, & idoneis, de Ecclesiæ illius Decimis & iuribus quantum honestum est, decidere atque assignare, aut reclamantia collegia vel Monasteria suo iure, ob negligentiæ culpã, priuare: Dignus est enim operarius mer-

cede sua, Et qui Euangelio seruit, de Euangelio debet viuere. Incumbit autem Parochis plus reliquis Canonicis & Sacerdotibus curæ & laboris.

Species alia cupiditatis est, si quæstum secularem aut lucrum turpe sectentur clerici, & sint vsurarii, negociatores, vel caupones, quæ vitia omnes canones in clero damnant. Quin & scriptura dicit, Nemo militans Deo, implicat se negociis secularibus, vt ei placeat cui se probauit. Proinde nemo clericorum amplius recipiat, quam dederit accommodato; si pecuniam (inquit concilium Carthaginense) pecuniam speciem eandem, quam dederit, accipiat, nec vltra, aut iustum precium: secus facientes, fœneratores sunt, ab officio & beneficio suspendendi, excõmunicandi, & ad Ecclesiasticam sepulturam, secundum Canones, non admittendi.

Nec licet mercaturas Clerico exercere, vt emat quæ postea vendat, nec item cauponem agere, vt domum suam vertat in œnopolium, seu tabernam publicam. Nec sortilegiis, diuinationibus, aut etiã venationibus indulgere. Quæ omnia sacris canonibus seueriter prohibita: sunt in capitulis disciplinæ: in visitationibus: & quoties deprehenduntur per Episcopum: Archidiaconos: Decanos: & eorum officiales punienda.

Sacerdotes item Nobilium & diuitum Ciuium seruitio: sine Episcopi consensu & auctoritate se non ita mancipient: vt seruiant in negotiis prophanis: & à cura sacerdotali alienis.

De Disciplina populi.

POpulus præter obedientiam: quam principibus & Magistratũi ciuili debet ad eam quoq; quã Episcopis debet & Ecclesiæ Prælatis: sine qua in disciplina contineri non potest, redigendus est. Quinetiam lex diuina exigit: vt obediant Præpositis suis: quorum est peruigilare: vt reddant rationẽ de animabus eorum: quo cum gaudio quod officii sui est: faciunt: & non gementes. Debet ergo populus Clerum: Parochos: & illis superiores ordines venerari: eorum facta non temere iudicare: nec aduersus presbyteros suos contendere: aut duros vel refractarios se exhibere: sed morigeros & obsequentes: Ad Christum enim: cuius legatione funguntur: pertinet eorum tam contemptus quam honor. Hebr. 13

Diebus Dominicis & Festis conueniat populus ad diuina: quæ in Ecclesia celebrantur Concionem sub silentio audiat: & memoriæ commendet: nec strepitu aut deambulatione: vel Concionatorem, vel auscultantes perturbet: Patres & matresfamilias audita illic secum domum perferant, secundum quæ liberos & familiam instruant ad pietatem: doceant eos Deum: qui inspector est omnium actionum nostrarum: timere: eiq; salutem suam quotidie commendare: memoria retinere: ac frequenter recitare Symbolum Apostolicũ: orationem Dominicam: Salutationẽ Angelicam: Præcepta Decalogi: & quicquid ad virtutẽ: bonosq; mores pertinet, Frequenter interesse diuinis: verbũ Dei atten-

te audire, orare, clerum & Magistratum honorare, erga omnes, modestos ac placidos se gerere, malã societatem fugere, horrere à Blasphemiis, iuramentis, & execrationibus, non contendere, litigare, insolescere, nemini iniuriam irrogare, senioribus cedere increpationes & castigationes æquanimiter ferre, vera loqui, mendacia detestari.

Ceremonias quoq; pietatis christianæ, quales supra descripsimus, & instituta Ecclesiastica, de Ieiuniis & abstinentia carnium, de Feriis, de Processionibus, & id genus ritibus, populus religiosè ac piè obseruet.

Libri contagiosi, de falsa Religione suspecti, & qui Lucianico more cum Deo, cum sanctis, cum religione, & sacris iocantur, trahuntq; ea in ludicra spectacula, populo curioso prohibendi. Neq; enim ad pietatem, & mores bonos faciunt. Similiter petulantes & obscenæ imagines, libidinũ incitamenta cum multa fœditate ostendentes, vel ad ludibriũ Religionis, aut ad certorum hominum infamiam effigiatæ, prohibeantur. Leget autem populus libros sacros, sanctos Patres, vitas sanctorum, Historias præclarorum & fortium virorum, & tales spectet imagines, quibus ad pietatem, virtutem, studia honesta, Religionis & reipublicæ amorem, accendatur.

Abstineatur ab ebrietate & compotationibus, quibus & naturæ vires eneruantur, & malis ingenitibus sæpe datur occasio, nec pateant œnopolia & tabernæ diebus festis ante sacrum in Ecclesia peractum, nisi peregrinis & infirmis. In transgressores

Magiſtratus animaduertat, animaduertat quoq; in ſeductores populi, qui noua dogmata ab Eccleſia non recepta, non verentur ſpargere, in ſacrilegos, in periuros, blaſphemos, vſurarios, adulteros, & crimina publica quibus corrumpitur iuuentus, imò omnis ætas, & propter quæ Deus reſpublicas ſæpe magnis cladibus afficit.

Principes ſeculares, & Magiſtratus ciuiles non patrocinentur eis, qui in clero & populo reformari detrectant. Sed Epiſcopis & Prælatis eccleſiæ ſint auxilio, eorumq; decreta fideliter exequantur, & ordinem præſcriptum cogant obſeruare. Iurisdictionem quoq; & libertatem, ac immunitatem Eccleſiaſticam, Imperatorum legibus, & ſacris canonibus Epiſcopis & clero tributam ac firmatam, tueantur, ipſisq; conſeruent. At hi qui prælatos, Eccleſias, eorumq; bona & prædia in fidem, tutelam ac protectionem ſuam recepere, & contra fidem datam præfectura ſeu protectione ſua abuſi, eccleſiis quas tueri debebant, grauia & iniqua onera auſi fuerunt imponere, Aequum eſt, vt præfectura ſeu tutela, per Cæſareæ Maieſtatis commiſſarios amoueantur, Eis autem qui abuſi nō ſunt, limites & ius præſcribantur, vt apertè conſtet, quid alteri, alteris inuicem debeant.

De Viſitatione.

VT viſitent Epiſcopi ſuas Dioeceſes, nō nupera eſt inuentio, aut à patribus primū introducta, Sed hic mos ab Apoſtolis deſcendit. In

actis scribit Lucas Paulum circumambulasse regiones, in quibus prædicauerat verbũ Dei, vt videret, quomodo se haberent fratres, & vt confirmaret eos in fide, traditiones Apostolorum, & seniorum eis præciperet custodiendas, quæ ferè omnia sunt, quæ ad visitationem pertinent.

Debet igitur Episcopus, si non iuxta Toletani Consilii decretum, quotannis propter latitudinem prouinciæ, saltem quarto aut quinto quoq; Anno totam Diœcesim suam, per se, vel suum in Pontificalibus Vicarium circumire, ac visitare, & inter visitandum pueros Baptizatos, confirmationis Sacramento signare. Archidiacones vero, seu chorepiscopi, & decani rurales, Territorii, seu regiunculæ suæ Ecclesias, singulis quibusq; annis visitare debent. Ad hoc enim negocium in partem sollicitudinis Episcopalis vocati sunt.

À visitatione Episcopali, nulla ecclesia sit exempta, sed à cathedrali ad collegia, à collegiis ad Monasteria, nisi proprium habeant Visitatorem, À Monasteriis ad ecclesias Parochiales, ab his, ad Oratoria: hospitalia: scholas, & bibliothecas transeatur: in quibus præcipua sit cura Episcopo: vt primum cleri vicia deinde populi eradicet: ne qua radix amaritudinis sursum crescat: per quam inquinentur multi: siquidem neglecta visitatione Religio omnis corruit: & robur acquirit impietas.

In locis visitandis: deligantur imprimis viri probi: boni nominis: & fide digni quatuor: quinq; : aut plures: secundum cleri: & plebis subiectorumq; pagorum multitudinem: quibus conuersatio Cleri et

populi

populi, fama quoq; vulgaris sit nota, qui & obstringantur iuramento ad dicendum libere, audacter & secure: ira: odio, amore & affectibus prauis remotis, ea de quibus est Visitator pro emendatione & correctione malorum percontaturus; At leues Delatores: nisi probent quæ deferunt: non audiantur.

Procedendum autem in inquisitione à capitibus ad membra inferiora, à Decanis ad Canonicos, Vicarios: et Ministros infimos: ab Abbatibus: ad procuratores et Monachos: à Parochis ad sacerdotes ædiles: et Ostiarios. Deinde ad Laicos reliquos inquirendumq; in Collegiis et Monastriis: vtrum Canones et regulæ obseruentur: Vtrũ seruetur frequenter capitulum disciplinæ: et qua seueritate: an corrigantur illic vitia quotidie sub nascentia: an reuerenter et debitè seruetur cultus diuinus: an satisfaciant Maiores et Minores suo quisq; officio: secundum ea quæ supra exposita sunt. An sint vlli Concubinarii: adulteri: ebriosi: criminosi: infames: aut suspecti de hæresi, vel aliis malis. Externa, qualis est habitus & tonsura, ædificiorumq; & Bibliothecæ status inspici debent, De prædiorum, censuũ & iurium conseruatione inquirendum, Sed specialiter in Parochiis, num intrusus sit Parochus, & quo titulo regat, an constet de ordinatione, Vtrum sit Mercenarius, an rectè administret sacramenta, an extorqueat pecunias pro administratione. Item de doctrina, de honestate vitæ, & familiæ eius, & an boni Parochi munere in omnibus perfungatur. Sic de ædilibus, de sacristis seu custodibus, num orna-

menta, vestes, sacræ reliquiæ, vasa aurea, & argen-
tea, ædificia, census, prædia bene conseruentur. Di-
ligentissime vero inuestigandũ, num deliteat in pa
rochia Hæreticus aut schismaticus vllus, num Hæ-
resis aliqua occultis conuenticulis disseminetur, an
sint, qui curiosius de fidei Mysteriis disputent, &
simplicibus iniiciant scrupulos, Item de obseruan-
uantia ieiuniorum, processionum, dierum festorũ,
& rituum Ecclesiasticorum, de superstitionibus,
maleficiis, blasphemiis, periuriis, adulteriis, stupris
incestibus, odiis, dissidiis, rebellione & contemptu
Ecclesiasticæ & ciuilis potestatis, & iis criminibus,
quibus locus, qui visitatnr, solet diffamari.

Inquisitione facta, quæ recte se habẽt, laudabit,
quæ male, castigabit & corriget. Intrusos parochos
vagos sacerdotes, quibus nulla certa functio est, &
Monachos fugitiuos extrudet atque eiiciet. Quæ
emendari per ipsum nequeunt, referet ad Synodum
Episcopalem, vt illic de huiusmodi rebus, secundũ
Canones Ecclesiasticos statuatur.

In castigatione tamen sit prudens & circumspe-
ctus visitator, ne occulta prodat, sed quæ occulta
sunt, clam etiam & occulte puniat ac sanare curet.
Manifesta vero publice arguat, vocatisque, secundũ
Lateranen. Concilii sanctiones, accusatis, non pri-
mum mulctam ab eis exigat (vt actenus) pecunia-
riam, sed pœnitentiam Canonicam & publicam,
quantum eius fieri potest, imponat, sic videlicet, vt
peccatum humiliter agnoscentibus, veniamque pe-
tentibus, & pollicentibus emendationem, pœniten
tiam salutarem, in ædificationem aliorum, ad cer-

tum tempus pro magnitudine delicti imponat.
Contumaces vero, & manifesta sua crimina agnoscere, & pœnitentiam suscipere recusantes, si Clerici sint, a ministerio & beneficio eos remoueat, aut etiam pro criminis magnitudine excommunicet. Laicos extra communionem sacramentorum, & consortium hominum locet, ab omnibus vitandos, donec ad cor reuerrantur, & crimina sua agnoscentes, pœnitentiæ remedia suscipiant.

Postea Visitator, omnes in vniuersum moneat, vt non solum qui publice peccarunt, sed etiam quorum conscientiæ occulto peccatorum reatu tenentur obstrictæ, ipsi aut eis quos in comitatu socios & cooperatores habet, priuatim confiteantur, vt potestate a Deo Episcopis data, absolui a vinculis suis mereantur, & secretius pœnitentia salutari imposita satisfacere.

Ad hanc formam visitent quoq;, & inquirant, ac pœnitentiam iniungant Archidiaconi & Decani rurales in suis regiunculis, grauiora vero, & quæ per ipsos emendari nequeunt, referant, vti supra dictũ est, ad episcopum, & synodum episcopalem, publico iudicio submittenda, eorum enim visitationes paruæ quædam & particulares sunt synodi, synodo maiori subiectæ, & secundum eius iudicium dirigendæ.

De Synodis.

SAlus Ecclesiæ, terror hostium eius, et fidei catholicæ stabilimentum sunt Synodi, in quibus potissimũ eminet episcopalis apicis auctoritas.

Quapropter Apostoli, & post Apostolos, magna illa concilia, calcedonense & Lateranense statuerût, vt Episcoporum comprouincialium synodus quotannis bis celebraretur. Quod cum in Germaniis, propter prouinciarum latitudinem, fieri sit difficile, saltem Diœcesanam synodum bis quotannis celebrare est necesse, In qua Archidiaconis, Abbatibus, Prælatis: decanis: presbyteris: parochis & clero suo, Episcopus synodi caput præsideat: quem a' synodo abesse non licet. Nisi insuperabilis impotentia adimat ei facultatem: Concilium vero prouinciale statuerunt patres Concilii Basiliensis: ad minus de triennio in triennium debere celebrari.

Primo Synodi die: præsentibus: qui ei intererût. inuocetur Spiritus sanctus. Deinde Episcopus, aut alius quispiam, cui ille hoc negocii imposuerit, adhortetur omnes ad promouendum studium pietatis, & Ecclesiasticam disciplinam, ac correctionem viciorum emergentium, post exhortationem legantur nouissimi Concilii generalis, vel prouincialis nondum publicata decreta.

Deinde eiectis ad publicationem Synodi vsque Laicis, & clericis minorum Ordinum, & eis qui ad secreta synodi consilia non pertinent, intromissis illis tantû, qui in consessum synodalem recipiuntur: & sacerdotibus ac dignioribus e' clero causam Episcopus exponat, aut alteri exponendam imponat, ob quam synodus sit coacta: iubeatq; singulos per iuramentum: Notariis qui omnia excipiant: assidentibus: proferre in medio Ecclesiarum suarum: Prælatorum quoq; et populi: siue præsentium: siue ab-

sentiam vitia grauia, quæ à Synodo corrigantur; absq; vllo personæ respectu, si sit pastor aliquis nō legitimus, aut per vim intrusus. Si negligens officii & incorrigibilis: si in Clero quis Symoniacus, si hæreses subpullulent, si in officia diuina irrepant abusus. Si prælatis aut parocho bene præsidenti rebelles sint inferiores, si male præsideant: si per tyrannidem potentiorum, aut iudicia iniusta opprimatur, Ecclesia, populus, viduæ, vel orphani sacrilegia committantur, si violentur Ecclesiæ iura, si vsurarii sint in Clero vel populo, si incestuosi, si enormia crimina admittantur, à quibus nolint desistere, aut agere pœnitentiam.

Audiantur quoq; appellationes eorum, qui ad Synodum prouocarunt, & absentiū legantur Epistolæ Deniq; & Laicis fiat potestas suas querelas, modo res Ecclesiasticas concernant, aut ad iudiciū Synodi pertineant, proponendi in scriptis, aut per Sacerdotem vel aduocatum aliquem. Aut si viri sunt digni, intromitti possunt, & audiri præsentes, non vna tantum sessione, aut die vno, sed duobus, tribus, quatuorue, aut quinq;, Donec fuerit Synodus de causis sufficienter informata.

Perceptis viciis & querelis, consultandum inter synodales communiter & priuatim, qua ratione arbitrentur audita incōmoda emēdari posse, & tolli. Ad quæ consilia etiam Theologi & iurisperiti, si res poscat, adhibeantur, Et nemo discedat, donec causæ omnes finiantur, dimittaturq; synodus.

Vbi de executione eorum, quæ synodi pars potior probabit, fuerit cōstitutum, pulsatis campanis

ad publicationē admittantur omnes, renouenturq; Canones ad correctionem viciorū, de quibus tractatum fuit, & eorum extirpationem valentes, aut etiam noui, pro disciplinæ Ecclesiasticæ ac pietatis restitutione condantur, si quid non finiatur, reiitiatur ad synodum prouincialem, illic discuciendum & definiendum, rogeturq; Metropolitanus, vt q̄p primū fieri conuenit, Conciliū prouinciale indicat.

Peractis omnibus cantetur, Te Deū laudamus. dimittanturq; Clerus & populus cum benedictione Episcopali.

De Excommunicatione.

CVm excōmunicandi potestas in hoc a Christo Ecclesiæ tradita sit, vt impii, scelerati, contumaces, rebelles & incorrigibiles, ab Ecclesia, a sacramentis & communione fidelium pellantur, tradanturq; Sathanæ in interitum carnis, donec suffusi pudore resipiscant, & abnegata impietate, digna pœnitentia pro flagiciis suis ecclesiæ satisfaciant, eiusq; se iudicio submittāt, summopere christianis veris metuenda est, nec leuiter in aliquem stringenda.

Cauebit ergo iudex, ne ob alias causas, quàm criminales, easq; valde graues ac lethales, magno cum iudicio, diuinam hanc censuram, qua nulla est maior in Ecclesia, proferat in eos, qui aliter corrigi nō possunt, sic tamen, vt feriendo magis sanet, q̄ vt prorsus interimat, atq; vt spiritus saluetur in die

